



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

De differentia officiorum. 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38803**

*Vtrum officia distinguantur per actus?*

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod officia non distinguantur per actus. Sunt enim infinite diuersitates humanorum actuum tam in spiritualibus quam in temporalibus. Sed infinitorum non potest esse certa distinctio. Ergo per diuersitates actuum non potest esse humanorum officiorum certa distinctio.

**¶ 2** Præterea, Vita actiua & contemplatiua secundum actus distinguuntur, ut \* dictum est. Sed aliter videtur esse distinctio officiorum à distinctione vitam. Non ergo officia distinguuntur per actus.

q. 179. a.  
1.

**¶ 3** Præterea, Ordines etiam ecclesiastici, & status, & gradus per actus distingui videntur. Si ergo officia distinguantur per actus, videtur sequi quod eadem sit distinctio officiorum, graduum, & statuum. Hoc autem est falsum: quia diuersimodè in suas partes dividuntur. Non ergo videtur quod officia distinguantur per actus.

l. 6. c. 19.  
in prin.

**S**ED contra est, quod \* Isidorus in lib. Etymo dicit, quod officium, ab efficiendo est dictum, quasi officium, propter decorem sermonis, vna murata littera. Sed efficere pertinet ad actionem. Ergo officia per actus distinguuntur.

art. prac.

**R**ESPONDEO dicendum, quod sicut \* dicitur est, diuersitas in membris Ecclesie ad tria ordinatur, scilicet ad perfectionem, actionem, & decorem. Et secundum hæc tria distinctio diuersitatis fidelium accipi potest. Vna quidem per respectum ad perfectionem: & secundum hoc accipitur differentia statuum, prout quidam sunt alijs perfectiores. Alia verò distinctio accipitur per respectum ad actionem: & hæc distinctio dicitur officiorum. Dicuntur enim in diuersis officijs esse, qui sunt ad diuersas actiones deputati. Alia autem per respectum ad ordinem pulchritudinis ecclesiasticæ: & secundum hoc accipitur differentia graduum, prout scilicet etiam in eodem statu vel officio vnus est alio superior. Vnde & in Psal. 47. dicitur

secundum aliam litteram, Deus in gradibus eius cognoscitur.

Ad primum ergo dicendum, quod materialis diuersitas humanorum actuum est infinita, & secundum hanc non distinguuntur officia, sed secundum formalem diuersitatem, quæ accipitur secundum diuersas species actuum, secundum quam actus hominis non sunt infiniti.

Ad secundum dicendum, quod vita dicitur absolute: & ideo diuersitas vitarum accipitur secundum diuersos actus, qui conueniunt homini secundum seipsum. Sed efficientia, a qua sumitur nomen officij, ut dicitur est, importat actionem tendentem in aliud, ut dicitur in nono \* Metaphysic. Et ideo officia distinguuntur proprie secundum actus, qui referuntur ad alios: sicut dicitur doctor habere officium, vel iudex, & sic de alijs. Et ideo \* Isidor. dicit, quod officium est, ut quisque illa agat, quæ nulli officiant, id est, nocent, sed prosint omnibus.

*in ar. ad oppositū l. 9. te. 16 l. 6. et. c. 19. circa princ.*

Ad tertium dicendum, quod diuersitas statuum, officiorum & graduum secundum diuersa sumitur, ut dictum est. Contingit tamen quod ista tria in eodem concurrant: puta, cum aliquis deputatur ad aliquem actum altiorem, simul ex hoc habet & officium, & gradum; & ulterius quendam perfectionis statum, propter actus sublimitatem: sicut patet de Episcopo. Ordines autem ecclesiastici specialiter distinguuntur secundum diuersa officia. Dicit enim \* Isidor. in lib. Etymol. Officiorum plurima genera sunt, sed præcipuum illud est quod in sacris diuinisque rebus habetur.

*4. 1. ad 3*

*l. 6. c. 19. in princ.*

ARTIC. IV.

*Utrum differentia statuum attendatur secundum incipientes, proficientes, & perfectos?*

867

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod differentia statuum non attendatur secundum incipientes, proficientes, & perfectos. Diuersorum enim diuersæ sunt species & differentie. Sed secundum hanc differentiam inchoationis, profectus & perfectionis, diuiduntur

*sup. q. 24. a 7. et Pf. 24. col. 5. et Isai. 4. co. 2. fin.*

PP 4 gra-